

svetum, ut priùs Theoreticam, atque hinc Practicam Philosophiam excutiamus, quarum illa Metaphysicam, Pnevumaticam, Physicam & Mathesin comprehendit.

M E T A -
P H Y S I C A .

Quod ad METAPHYSICAM attinet, certò certius est, plerosque omnes è Turcis, manu libentiùs abstrahe- re, quàm animo, satiusque ab iis reputari, mensam & cya- thum, quos vident, habere, quam mensalitatem & cya- theitatem, quas non vident. Hoc exemplo Diogenes olim usus est, Platonem de Ideis differentem, irrisurus; sed responsum, Turcis non minùs, quàm Cynico con- veniens, reportavit: Aliter ab eo judicari non posse, qui oculos, quibus mensa & cyathus videatur, habeat; mentem verò, quibus mensalitas & cyatheitas videatur, non habeat. Nihilo tamen minus vestigia Metaphysi- cæ haud obscura, in Excerptis è libello Turcico Azizi Ne- sephæi Tatari, quæ Orientalium, præsertim Sinicorum Arcanorum, promus condus, Dn. Lic. Andreas Mülle- rus, ex Electorali Brandenburgicâ Bibliothecâ vulgavit, (m) paulò accuratiùs intuenti, obveniunt. Quo enim alioquì referremus, quæ de essentiâ & attributis ibi me- morantur?

PNEUMA-
T I C A .

Nisi fortè placeat PNEUMATICÆ ista accen- sere, quam recentiores pro peculiari disciplinâ habent &

(m) Titulus libelli integer ita se habet: *Excerpta Manuscripti cujusdam Turcici, quod de Cognitione DEI & Hominis ipsius, à quodam Arizo Nesephæo Tatavo scriptum est & in Bibliothecâ Electorali Brandenburgicâ asservatur, quæ cum versione Latinâ & Notis nonnullis subitaneis, in publicum emittit, M Andreas Müllerus Præpositus Bernaviensis. Colon. Brandenb. 1665.*